

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 40. Undecim Romani a Nepote Pontificis trucidati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

**Sæcul. XV.** Gibellinorum Princeps copias Romanæ  
**A. C. 1405.** Urbi circumfusas habebat; Papa econtra arcem sancti Angeli valido præsidio munitam tenebat; hinc in singulos ferme dies non sine multo sanguine, ac cæde velitares conserebantur pugnæ, undique locis ingenti strage repletis. Quo comperto Pontifex pacifici, ac mitis genii Vir incredibili afficiebatur dolore. Ergo summa mansuetudine furentium corda emollire, eisque in omnibus complacere tentat, sed incassum; *Prudentes* enim, ut vocabant, nunquam a suis, et si æquitati tantopere contrariis, atque inquis postulationibus quicquam remittere cogitant, proterviae suæ patrocinio in Ladislai potentia collocato, qui licet Innocentii partes tueri simularet, cum illistamen secreta communicabat consilia, eosque auro corrumpere non dubitabat. Pontificis Nepos, nomine Ludovicus de Melioratis, Juvenis temerarius, atque ad quævis audenda projectus plurimum dolebat, Pontificem Patruum suum ab hisce Judicibus *prudentibus* adeo inique haberi.

## §. XL.

*Undecim Romani a Nepote Pontificis trucidati.*

*Theod. de Niem. l.2.  
c. 36.*

Cum quondam isti Judices cum aliis nonnullis Civibus Romanis a Pontificis

ficis colloquio, ubi oblatis quibusdam Sæcul. XV.  
 conditionibus de concordia egerant, re A.C. 1405.  
 infecta discederent, Melioratus undecim  
 ex illis, quos inter duo erant Judices, a  
 suis militibus comprehensos, illata vi ad  
 se adduci imperat, & tandem in quod-  
 dam cubile abstractos propria sua manu  
 trucidat, atque eorum corpora penitus  
 denudata e fenestris in plateam dejicit,  
 ubi ad vesperam usque remanserunt. Ro-  
 mani luctuoso hoc spectaculo impoten-  
 ti furore agitantur; ipsi quoque Judi-  
 ces, quos militum manibus fors eripue-  
 rat, magis, magisque populum contra  
 Papam, ejusque curiam concitant; Qua-  
 re confessim crebro campanarum stre-  
 pitu ad arma conclamat, factoque in  
 Viros Ecclesiasticos impetu, nonnullos  
 effræni rabie occidunt, alios vestibus di-  
 laceratis nudant, eorum domos exspo-  
 liant, & cuncta Cancellariæ regesta, ac  
 tabulas diripiunt; præterea plurimi car-  
 ceribus includuntur, & ipse Pontifex,  
 insons quidem, atque exsecrandæ hujus  
 cædis a Nepote suo perpetratae omnino  
 inscius erat, de propria tamen salute maxi-  
 me anxius, furori cedendum ratus, cum  
 Curialibus suis, qui eum sequi poterant,  
 Roma auffugere statuit.